



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Legitur primus Prouinciæ procurator.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

terque ad frequentissimam concionem verba fecit Nudauit Hæreticorum fraudes, & in sua ipsorum capita vertit: Catholicos demum in prisco Euangelio, quod vnum, verum, sanctum, ac salutare est, nec, etiamsi Angelus de Cælo nuntiaret, aliud esse potest, vehementer constabiliuit.

*Legitur primus  
Prouincia pro-  
curator.*

Regressus Herbipoli accitur Augustā ad Prouincialem conuentum, qui primus, vt in cetero quoq; Societatis Prouinciis, habitus est ad Procuratorem legendum, qui profectus in Urbem simul videret, numqua esset causa, cogendæ generalis Congregationis, simul de Prouinciæ statu Generalem Præpositum edoceret. Vt erant ij primi conuentus, nec dum constabat Prouinciales ad eam procurationem destinari non debere; Patres qui neminem putabant nec plenius, nec sincerius posse, seu de Prouincia loqui, seu de totius Societatis statu deliberare, Canisium ad id muneris legunt. Excusanteq; eo hic quoq; iniunctam sibi Pontificio iussu scriptionem, nullum inde impedimentum rati, sed pötius non mediocria habiturum Romæ ad eam ipsam rem subsidia ab illis, doctisque viris, in sententia perstiterunt: nec post multo in urbē iter corripuit ab ipso ductus

Cardi



Cardinali Othone, vt simul cum Pontifice maxi-  
mo quædã de Germania iuuanda tractaret. Qui,  
vbi in Italiam vêtum est, iter per agrum Picenum  
instituunt sanctissimã Laureti Deiparę Cellam  
veneraturi: cui & magnifica dona Cardinalis fe-  
rebat. Eo priusquam peruenirent, maximè me-  
morabilem Canisio diuina beneficentia urbem  
Anconam fecit. In templo principe eius vrbis in-  
femet inquirenti, seduloq; peruestiganti, quo ri-  
tè cursum dirigere, ne quo aberret, debeat, ape-  
ruit Deus oculos mentis, nouumque de Cælo lu-  
men infudit ingens, fidele, magnarum caput, ac  
fontem laudum. Monstrabat id lumen interiori  
oculo verum, firmumq; fundamentum religiose  
vitæ: simulq; docebat, quemadmodum consilia  
ei sua omnia imponere, & studia omnia, & facta  
deberet. Fundamentum autem erat sui met co-  
gnitio intima, perquam penitus comprehende-  
ret vilitatem, inanitatemque suam, quam foret  
ipse nihil, quam boni nihil neq; nosset, neq; vel-  
let per se, neq; posset, neq; haberet: cum omnium  
bonorum initia, media, extrema in vno sita Deo,  
nec vsquam alibi præterquam in Deo ab ratione  
vrentibus collocanda sint. Haud dubie iam pri-

Ancona lumi-  
ne diuino illu-  
stratur.

Humilitas  
solida.